



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac  
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio  
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu  
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

**Fierlant, Simon de  
Coloniae Agrippinae**

§. 1. Editur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37059**

§. I.

## E D I T U R.

Q Uam in priori libello, historicus utique præteritorum, non futurorum vates, partem historiæ prætermisi ultimam, hoc capite relaturus, non abs re fore judicavi priora repetere, ut totam ita, & jam perfectam, suisque numeris absolutam omnibus uno in libro commodius haberet Lector libri Gabrielliani historiam: ne nihil tamen priori narrationi dedisse videamur, parumque Lectorum fastidio consuluisse & aliâ rem eandem repetemus phrasi & narratam illic fusius in breve hic compendium contrahemus.

Anno 1675. in lucem prodiit æternis dignior tenebris famosus ille liber, & ad Censuras quasi natus: nec prodiit derepentè, aut inexpectatè, sed nobilem adeo partum Theologicæ theses, sic quasi prodromæ, biennio ante prænunciant.

Titulus fuit, & pro homine religioso haud modestus, & pro aureo charitatis buccinatore haud pacificus; en tenor, *Specimina Moralis Christianæ, & Moralis Diabolicæ in praxi: Auctore R. P. F. Ægidio Gabriëlis S. T. B. F. tertii Ordinis S. Francisci de Pænitentia, vulgò Beggardorum S. T. Lectore.* Horrenda inscriptio, *Moralis Diabolica*, & quæ primos Lectoris oculos meritò terreat: sed debet horrendus fœtus horrendo insigniti nomine, & larvis spectrisque infesta domus, non aptius aliud in frontispicio insigne præferre, quam Diaboli.

C

In-



Interea, ut diversa sunt hominum in Belgio studia, ita varii erant animorum motus; plaudebant passim Bajon-Janseniani, nec mirum; in libri foliis, sic quasi in pueri genis, paterna Baii Janseniique lineamenta legebant, ut adeo ex ipso veluti vultu, quibus ortus esset majoribus fœtus hic, facile agnosceretur; inter alios autem Lovanienses Racematores ita favebant apertè, ut nati recens opusculi paternos crederes: genethliacum certè, magnificentum opus, quin superbum, sessione & hebdomade secunda cecinerunt; sed de hoc commodius postea.

Plausus istorum & cantus comitabantur pii bonorum gemitus; quorum vota omnium nomine vir eruditissimus, & de re christiana vel hoc uno optimè meritus Franciscus Simonis ad Clementem X. Pontificem maximum reverenter detulit; & potuit primo in ortu periculosum virus tunc suffocari, sed aliter visum superis; credo, ut sapius postea & majori periret cum infamia.

§. 2.

## D A M N A T U R.

Ecce è natali Belgio in Italiam defertur infaustus liber, & Eminentissimis S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede specialiter deputatis examinandus offertur. At sensit hic quam multum Lovanio Roma distet; quamque alia sit S. Romanæ Inquisitionis sententia ab insulso racematorii conventiculi iudicio. Censura non vulgari proscribitur, quam ipsis Decreti  
D E-